



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXXVII. Zetes & Calais, alati juvenes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Adeste sceleris ultrices Deæ,
 Crinem solutæ squallidis serpentibus,
 Atram cruentis facibus amplexæ facem:
 Adeste, thalamis quondam meis
 Quales stetitistis.

Nempe Erinnyes, Furia, & ceteræ pestes Erebi, nuptiarum diræ præsidēs & auspices. Quid mirum deinde, hisce initijs respondere media, medijs extrema, & Terei repeti tragædiam.

SYMBOLVM XXXVII.

Zetes & Calais, alati juvenes.

6. Metam.

Ethicè.

1. Malè blandiens mulier, aut voluptas. 2. Avaritia. 3. Officiales & Ministri Principum. 4. Prodigii heredes. 5. Variorum rapacitas.

Phineus, Thraciæ, vel Arcadiæ, vel, ut quidam volunt Paphlagoniæ rex, non minùs avarus, quàm dives, filios duos *Plexippum* & *Pandionem* ex *Cleoparra* susceptos, novercæ *Harpalices* criminatione inductus, oculis orbavit. Igitur pari pœna plexus à Jove, talionem recepit. Insuper immissæ sunt ei *Harpys*, aves rapacissimæ, quæ assidue infestantes ipsum, non sinebant ullo loco quiescere; cibos etiam ab ore comedentis rapiebant, omniâque contactu fœdabant. Erant ex vultu quidem virgineo, sed uncis manibus seu potiùs unguibus, turpissimo & insatiabili ventre. Morabantur in *Symphali*, Arcadiæ lacu, unde *Symphalides* dictæ. Nomina illarum *Aello*, *Ocyete*, *Celano*. Adversus hæc monstra cum præsidium nullum sufficeret, demum Phineus se convertit ad opem à *Calai* & *Zete* (seu *Zeto*) *Boreæ* filijs petendam. Hi quòd in expeditione Argonautica in insulam *Colchos* ad sapiendum velle aureum instituta, perhumaniter fuissent & prolixè à Phineo excepti, & insuper ei propinquitate, ob *Harpalicen* sororem, conjuncti libenter operam suam adversus *harpys* obtulerunt. Igitur & penitarum auxilio (nam ex alato patre geniti, & ipsi librantur alis) & sagittandi peritiâ
 B b freti,

freti, in *Ploras* usque insulas, in mari Jonio sitas, monstra infestissima fr-
gârunt; longiùs ea persecuturi, nisi Ægyptiæ Deæ *Isidis* oraculo admo-
niti fuissent, ne *Jovis canes* (sic enim *Harpyias* appellabat) ulterius
profligarent; quare retrorsum conversi, duas illas insulas, in quibus
Harpyias reliquerunt, à *conversione* sua *Strophades* nominarunt.

Ethica.

Varios hæc fabula conceptus subministrat, quos antequam pro-
feramus, Maronem audiamus 3. Æneid. de *Harpyis*, Æneæ classem ad
Strophadas appulsam incessentibus.

-----*Strophades* Graio stant nomine dictæ
Insula, Jonio in magno; quas dira *Celæno*,
*Harpyiæ*que colunt aliæ, *Phinæia* postquam
Clausa domus; mensasque metu liquere priores
Tristius haud illis monstrum, nec savior ulla
Pestis, & ira Deum *Stygijs* sese extulit undis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncaque manus, & pallida semper
Ora fame.

In his insulis dum accubabant epulis Troiani,
En subito horrida lapsa de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiant clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo.

I. (a) *Apulejus* has *Harpyias* pro nequissimis mulieribus usur-
pat, quæ vel rixando unguibus in alios involant, vel blandiendo & vul-
tu ad nequitiam composito incautos pecunijs emungunt. Non in scitè
hoc. Nam virginei vultus, unca manus, proluvies ventris ostendunt
sub specie castæ virginis, malè blandientem libidinem latere, quæ deni-
que infame sceleris pretium cum turpi cupiditate effundit. Sed de hoc
argumento alibi.

II. (b) Ad avaritiam *Harpyias* alij referunt. Finguntur enim
virgines, quod omnis rapina arida sit & sterilis, & malè quæsitis tertius
non gaudeat hæres. Plumis sunt circumdata, quia, quidquid invase-
rit rapina, celat. Volatiles dicuntur, tum quod habendi cupiditas sit

in
(a) Nequam mulier, aut malè blandiens libido. (b) Avaritia per *harpyias* sig-
nificata.

in omnes auferendi occasiones intenta, & celeriter in alienas opes invollet: tum quia malè parta, citò malè perduntur; & divitiæ ab uno avolent ad alium. Innuitur hoc Harpyiarum nominibus, nam *Aëlo*, est quasi ἐλὼν ἄλλο, id est, alienum tollens. *Ocyete*, celeriter auferens. *Celæno* nigrorem significat; nam candidum nihil & sincerum ab avaro exspectes. *Harpyia* vocantur ἀπὸ τῆ ἀρπάζειν, à rapiendo. *Palkida* semper ora habent fame inexsaturabili, & plus quàm canina, juxta illud: *Semper avarus eget*. Turpissima est Avaritiæ ventris proluvies, nam

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur opes.

Ecclesiastæ dictum est cap. 5. *Avarus non implebitur pecunia*. Nam illi tam deest quod habet, quàm quod non habet. *Unca manus* sunt Avaritiæ, scilicet ad trahendum, non ad dandum. *Psaltes* regius conqueritur *Psal. 9. Insidiatur, ut rapiat pauperem; rapere pauperem, dum attrahit eum*. Id est, avarus & impius insidiatur, & conatur rapere pauperem, & prædam suam facere, dum attrahit eum in rete suum dolis, fraudibus, violentiâ. *Tristius haud illis monstrum*, nempe, Harpyis; Est enim avaritia dirissima generis humani perniciës, testante *Siracide c. 9. Avaro nihil est scelestius*. Nam ex nimia acquirendi cupidine proveniunt usuræ, furta, fraudes, lites, seditiones, cædes, expilationes pauperum, venditiones legum, everfiones juris, fidei, honestatis. 1. *Timoth. 6. Radix omnium malorum est cupiditas*. *Juvenalis Sat. 14. hoc ipsum vidit:*

----- Sed quæ reverentia legum,

Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?

Id est, ditescere festinantis. Consentit vetus dictum:

Cui nihil satis est, eidem nihil turpe est.

III. (c) Sunt, qui Harpyias applicant Ministris Aulicis, Officialibus Principum, Rationariis, Quæstoribus, ærarii Præfectis, qui virgineas præ se facies ferunt, dum commoda Fiscis, jussa Principis, fidem & fidelitatem suam prætendunt; interim uncis unguibus rapiunt, abscondunt, & sese aliorum fortunis ditant; donec *Zelus* aliquis aut *Calais* (quorum hic ἀπὸ τῆ καλῆς, hoc est, ab *honesto*, ut *Alciatus* observat; ille à ζῆτει, *querendo* nuncupatur) vir, inquam, quæsitore honesti, cui salus Principis, Republicæ emolumentum, patriæ incolumitas, ipsa denique justitia cordi est, cæcutientem Principem (nempe *Phineum*) de periculo admoneat, administrationem in melius restituat, & substitutis publicæ rei curatoribus, in subdolorum locum, Harpyias illas usque ad *Strophades* insulas, hoc est, ab officijs suis eijciat tanquam improbos Jovis, hoc est, Principis, canes, quales Harpyiæ appellabantur. Rectissimè Sapiens Pro-

(c) *Officiales & Ministri Principum.*

B b 2

verb.

verb. 21. *Rapine impiorum detrahent eos, quia voluerunt facere iudicium.* hoc est, rapinæ, & opes raptæ, quæ impios in altum opulentia, potentia, dignitatis fastigium evexerunt; hæ ipsæ paulò post velut pondus plumbeum eos detrahent à suis honoribus & muneribus, propter violatam iustitiam. Alii Harpyias triplex hominum genus esse volunt, qui Reges ac Principes miserè vexant, oculos mentis fascinant, eorúmque facultates ad se rapiunt, scilicet Adulatores, Delatores, Fœneratores.

IV. (d) Per Harpyias etiam possunt denotari rapaces & prodigi avarorum parentum filii ac heredes. Phineus à Diis excæcatus est, quod suos ipse filios exoculasset. Faciunt hoc parentes, magis solliciti, quantum pecuniæ, quàm quantum probitatis filiis relinquunt. Unde plerumque prodigos & profusos fortiuntur heredes, qui malè acquisita, peius dilapidant. Virginea quidem facie blandiuntur non rarò liberi parentibus, speciem aliquam honesti, & virtutis amorem simulant; postquam verò clauserunt oculos progenitoribus suis, & eos extulerunt, tum verò uncis & rapacibus digitis in eorum opes involant, capiunt, rapiunt, & quæ voracem in ventrem ingesserunt, cito iterum per luxum profundunt, & exhauriunt. Horatius de his canit lib. 2. od. 14.

Abfumes heres cæcuba dignior,
Scrva centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum superbo.

Adagione fertur: *Si vultur es, cadaver expecta.* Quod in rapaces hereditas convenit; qui, sicut vultures discerpunt unguibus cadavera, sic avitas & paternas opes, ipsis relictas, dilacerant & dissipant.

V. (e) Ad Harpyiarum fabulam etiam illi pertinent, de quibus Salomon Prov. c. 21. *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Opes enim lingua mendacii, hoc est, per injustitiam partæ redeunt in jugulum parantis, & velut Harpyiæ eos stringunt, strangulant, suffocant. Cuiusmodi sunt primo Iudices, qui auro corrupti mendacem ferunt sententiam. Secundo falsi testes, qui fidem vendunt nummis. Tertio, Advocati, qui ob lucrum iniquam defendunt causam. Mercatores, qui mentiendo vitiosas, aut nimio pretio indicatas extrudunt merces. Quinto, Adulatores, qui nequiter assentando crumenas emungunt virorum divitum & Principum. Sexto, Chrysopei, qui profitentur artem faciendi auri, & fumum pro fulvo metallo reddunt. Septimo, Quicumque quacunque ratione dolosè, fraudulentèque colligunt nummos; Omnes harpyiæ rapacissimæ, & virgineo seu

(d) *Prodigi heredes.* (e) *Varia varia rapientes Harpyia.*

seu simulato vultu, iniquo Mammonæ inhiantes, dolosâque manu rei alienæ insidiantes.

SYMBOLVM XXXVIII.

Iason, ope Medæ, vellus aureum rapit.

7. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Indoles magnanima. 2. Virtutis comes prudentia. 3. Eius calcatur, præmia. Aurei velleris origo. 4. Victoria sui. 5. Lucta Rationis & Appetitûs. 6. Aries Symbolicè.

Jason filius fuit *Æsonis*, fratris *Pelie*, regis *Theſſaliæ*, qui *Æsonem*, mortuo *Creteo* parente, hereditate paterna everſurus, extorrem egit. Cuius impietatis ac injuſtitie ut ne pœnas daret, ſtatuit *Iasonem*, præclaræ indolis adoleſcentem, ex fratre nepotem, perdere; idque per cuniculos & inſidias. Conſilium igitur, haud novum tyrannis, ſuggerit juveni, ingenio manûque prompto, ſi vellet, ut dimidium regni cum ipſo partiret, proficiſcetur in *Colchidem*, regionem *Aſiæ* ad vellus aureum (commune tunc temporis heroicæ fortitudinis ac felicitatis pignus & experimentum) inde referendum, non ignarus, in quanta pericula conjiceret magnanimum pectus. *Iason*, cui ſedebat animo nullis cedere difficultatibus, cum alioquin ipſius ætas & indoles nihil humile, nihil ignavum caperet, incenſus ſtudio adipiſcendæ gloriæ, navim ingentem, *Argo* dictam ab architecto, fabricat è ligno quercûs *Dodonæ* fatidicæ, à *Pallade* oſtenſæ. Adſciſcit ſibi quinquaginta nobiliſſimos, fortiffimosque illius ævi juvenes, è tota *Græcia*, excitos, navigationis ſocios, ſpe novæ laudis, famæque immortalis conſequentes. In his ipſum *Herculem*, *Caſtorem* & *Pollucem* *Dioſcuros*, ſeu *Jovis* filios; *Zeten* quoque, & *Calain* *Bereadas*, nempe *Borea* vento prognatos; de quibus ſupra, multosque alios ſtrenuos viros. *E* vatibus eum ſecuti ſunt *Orpheus*, *Mopſus*, *Amphiaræus*.

Cùmque hi *Argonautæ* diu incertis itineribus in ignoto mari vagati fuiſſent, tandem deſideratum *Colchorum* portum, ubi fluvius *Phaſis* exit in mare *Ponticum*, tenuerunt. *Æta* vel *Æeta*, rex peregrinos comiter excepit. Cauſam tam laborioſæ navigationis ſciſcitantibus, reſpondet *Iason*,

B b 3

ſe